

Relatio Status Archidioecesis Salisburgensis
Summo Pontifici anno 1933 exhibita.

Salisburgi, die 21. Octobris 1933.

Beatissime Pater,

Ad pedes Sanctitatis Vestrae humillime provoluto relationem status iuxta formulam die 4. Novembris 1918 praescriptam devotissime per Episcopum auxiliarem Joannem Filzer porrigere mihi liceat, cum ipse magna infirmitate pedum et mala affectione impeditus sim – pro dolor – quominus personaliter, ut valde exoptarem S. Limina visitem.

Caput I.

Generalia de statu materiali personarum et locorum.

1. *Indicet Ordinarius nomen et cognomen suum, aetatem, originis locum, et institutum religiosum, hoc est religionem, si ad aliquam pertineat; quando fuerit consecratus, vel, si Abbas sit, benedictus; quando dioecesis regimen susceperit. Si Episcopum Auxiliarem habeat, an datus sit personae vel dioecesi.*

2. *Breviter exponat quaenam sit origo dioecesis, quinam eius titulus seu gradus hierarchicus, quae privilegia potiora; si metropolitana sit, an et quas habeat suffraganeas sedes; et quem Ordinarium appellationis iuxta Codicem, can. 1594 § 2, teneat; si vero suffraganea sit, quem Metropolitam habeat; et num apud illum, vel apud alium Antistitem pro conferentiis episcopalibus conveniat; si denique nulli Metropolitae suffragetur, quem Metropolitam pro Concilio provinciali, pro conferentiis et pro iudicio appellationis teneat iuxta cann. 285, 292 et 1594 § 3.*

3. *Dicat praeterea:*

a) *quinam locus residentiae Ordinarii, cum indicationibus ad epistolas inscribendas necessariis;*

b) *quaenam amplitudo dioecesis, ditio civilis, caeli temperies, lingua;*

c) *quaenam summa incolarum et praecipua oppida; quot inter incolas sint catholici; si autem varii adsint ritus, quot catholici in singulis, et si acatholici inveniuntur, quot sint, et in quales sectas dividantur;*

d) *qui numerus sacerdotum saecularium, clericorum et alumnorum seminarii;*

e) *utrum adsit Capitulum cathedrale, an potius coetus consultorum dioecesanorum; an adsint alia Capitula, vel sacerdotum coetus instar Capitulorum, seu Communiae, et quot;*

f) *in quot vicariatus foraneos, decanatus, archipresbyteratus aliasve circumscriptiones dioecesis divisa sit; quot sint paroeciae, cum numero fidelium earum quae maximae vel minimae sunt; an adsint paroeciae per linguas seu nationes distinctae, et an per familias et non territorio divisa, et quo iure; quot aliae ecclesiae vel oratoria publica adsint; sitne sacer aliquis locus celeberrimus, et qualis, cann. 216, 217;*

g) *utrum et quaenam religiones virorum habeantur, cum numero domorum et religiosorum sacerdotum;*

h) *utrum et quaenam religiones mulierum, cum numero domorum et religiosarum.*

Praeter ea, quae iam in¹ prima mea relatione de die 4. Novembris 1923 exposita sunt et immutata manserunt, sequentia affere mihi liceat:

ad 1) Episcopus auxiliaris, pro tempore Joannes Filzer episcopus titularis Bararitanorum praeconisatus die 18. Februarii 1927, datus est dioecesi, non personae meae.

ad 2) Inter privilegia praecipua eminet perantiquum privilegium nominandi, confirmandi, consecrandi et investiendi episcopos Suffraganeos Gurcensem et Seccoviensem, praesenti Archiepiscopo ad dies vitae a Sancta Sede clementissime confirmatum.

Metropolita Salisburgensis nunc solummodo duas supramemoratas Sedes Suffraganeas habet. Sedes Lavantina 1924 et Apostolica Administratura Oenipontana simul cum Vorarlberg 1925 immediata S. Sedi subjectae sunt, Administrator Apostolicus Oenipontanus Sigmund Waitz quoad appellationes et provinciale consilium Metropolitae Salisburgensi subjectus est.

Pro Metropolia Salisburgen. secunda Instantia appellationis est Metropolita Vindobonensis. ad 3.

c Summa incolarum: Catholici 293.200

Acatholici 5000 – quorum maxima pars est confessionis „evangelicae“.

d Sacerdotes saeculares: 479

Clerici in Seminario majori: 48

Alumni in Seminario minori: 241

f. Parochia maxima ad S. Andream nunc 20.000 catholicos² numerat, ultimo anno propterea Ecclesia filialis noviter in hac parochia erecta est.

g et h. Inserviat tabella adjecta p. 226–227³

Caput II.

De administratione temporalium bonorum, de inventariis et archivis.

4. An et quomodo iuxta civiles loci leges, facultas possidendi, acquirendi et administrandi, quae ecclesiae propria est, sarta tectaue sit; an potius coarctata; et si ita sit, quaenam sit conditio cleri et ecclesiarum.

Res se habent ut in omnibus aliis Austriae dioecesibus. Ius administrandi et alienandi bona coarctatum est⁴ legibus civilibus, quae Gubernio jus inspectionis tribuunt.

5. An institutum sit penes Curiam Consilium administrationis et quibusnam constet; et num Episcopus in administrativis actibus maioris momenti illud audierit iuxta praescripta can. 1520.

Quoad „Consilium administrationis“ (can. 1520) aequivalenti modo jam ex antiquis temporibus provisum est „Consistorio“, quod formatur omnibus Canonicis Capituli Metropolitanani, qui praesidente Ordinario quavis hebdomade conveniunt et in administrandis bonis ecclesiasticis Consilium ferunt.

6. An administratores particulares, sive ecclesiastici sive saeculares, cuiusvis ecclesiae etiam cathedralis, aut loci pii canonice erecti, aut confraternitatum, reddant quotannis Ordinario rationem suae administrationis. Can. 1525.

Utique in scriptis.

7. An servata sint praescripta can. 1523 circa modum administrationis, et confectionem librorum accepti et expensi; can. 1526 de non inchoandis litibus sine Ordinarii scripta

¹ Im Original „im“.

² Im Original „catholico“.

³ Der Relation wurden die Seiten 226 und 227 aus einem Druckexemplar des Personalstandes der Erzdiözese Salzburg für das Jahr 1933 beigelegt.

⁴ Im Original: „et“.

licentia; can. 1527 de abstinendo ab actibus Ordinariam administrationem excedentibus; et can. 1544 seqq. circa congruam dotem, tabulas piarum foundationum, aliaque.

Utique – et Ordinarius invigilat tum in sua visitatione, tum per Decanos forenses et per Decanum generalem.

Can. 1526 observatur

Can. 1527 valet in foro ecclesiastico et generatim etiam in foro civili.

Can. 1544 et sequ. circa pias fundationes observantur.

8. An qui bona fiduciaria ad pias causas acceperint, servent quae can. 1516 statuit, praesertim circa rationem Ordinario reddendam.

Can. 1516 – observatur – raro tales casus occurrunt.

9. In venditione, oppignoratione, permutatione, locatione et emphyteusi bonorum servataene sint fideliter ab omnibus normae cann. 1530-1533, 1538-1542; et si non, quae remedia adhibita. Praecipua quae acta sunt his de rebus negotia referantur.

Normae canones 1530–33, 1538–1542 servantur.

10. Circa decimarum et primitiarum solutionem serventurne laudabiles consuetudines, praecavendo tamen a dura exactione. Can. 1502.

Decimarum et primitiarum solutio jam dudum plerisque in casibus abolita est.

11. Circa oblationes in commodum paroeciae et missionis serventurne praescripta can. 1182 de earum administratione et ratione Ordinario reddenda; et collectores abstineantne a vexatoria et odiosa requisitione.

Can. 1182 observatur. Quod attinet ad oblationes in commodum missionis, congregationes missionum Ordinario usque nunc non reddunt rationem, excepta sodalitate a S. Petro Claver nuncupata.

12. Circa missarum stipem quomodo serventur quae can. 831 praescribit de taxa synodali; quae can. 835 de non colligendis a sacerdotibus missis, quibus intra annum ipsi satisfacere nequeant; quae can. 841 de transmissione ad Ordinarium missarum exuberantium; quae cann. 843 et 844 de libro tam personali quam ecclesiarum proprio pro missis adnotandis.

Loco taxae synodalis inserviunt decreta Episcopi et consuetudo dioecesana.

Can. 835 et 841 eo securius servantur, cum numerus missarum exuberans in paucis parochiis habetur.

Can. 843 et 844 observantur.

13. An inventaria immobilium, mobilium et sacrae suppellectilis uniuscuiusque ecclesiae, parochiarum, capitulorum, confraternitatum aliorumque piorum locorum, quae canonice erecta sint, confecta in duplici exemplari, alio pro pio opere, alio pro Curia episcopali, habeantur iuxta cann. 1296, 1522. Cautumne sit, et quomodo, ne morte rectoris ecclesiae, aut superioris pii operis, mobilia et suppellectilia disperdantur aut subtrahantur. Cann. 1296, 1300-1302.

Inventaria habentur, utique non semper in duplo, si non agitur de rebus maioris momenti pretiosis.

In morte rectoris iuxta inventaria fit investigatio⁵ et traditio praesente decano.

14. An Episcopus archivum habeat ad tramitem cann. 375-378 erectum et custoditum et cum documentis et libris de quibus in cann. 470 § 3, 1010, 1047, 1107; a quo tempore documenta

⁵ Im Original „investigatis“.

incipiant, et an pergamenae et incunabula habeantur; catalogine confecti sint; an aliud quoque secretum archivum, vel saltem armarium obseratum, in qua scripturae secretae custodiantur, servatis regulis cann. 379-380.

Episcopus Archivum habet iuxta canones 375–378 ordinatum, in quo servantur etiam authentica exemplaria librorum parochialium, liber ordinatorum, non autem liber dispensationum nec matrimoniorum conscientiae, quae usque nunc non habentur in Dioecesi. Documenta incipiunt ab anno 1274, habentur non pauca pergamena et pauca incunabula. Catalogi non sunt confecti usque adhuc. Archivum secretum, omnino ab alio Archivo separatum habetur sub custodia ipsius Ordinarii.

15. An ecclesia cathedralis, collegiatae, paroeciales, confraternitates et pia loca canonice erecta sua quoque archiva detineant, cum documentis cuicumque piae causae propriis, cum inventariis mobilium et immobilium et cum catalogo omnium documentorum; et exemplar eiusdem catalogi exhibitumne fuit Curiae episcopali, et in archivo Curiae repositum iuxta can. 383.

Etiam haec archiva habentur, deest autem nonnumquam locus conveniens et tutus, desunt etiam saepe catalogi documentorum.

Cancellarius Curiae quotannis partem horum archivorum visitat et in meliorem formam redigere satagit.

Caput III.

De fide et cultu divino.

16. Utrum graves errores contra fidem serpent inter dioecesis fideles; vel aliqua praxis superstitiosa aut ab institutis catholicis aliena in dioecesi vigeat; an modernismi, theosophismi, spiritismi lues dioecesim infestet, et an aliqui e clero eisdem erroribus infecti sint. Quanam huius mali fuerit, vel adhuc sit causa.

Adsitne consilium a vigilantia, quot personis constet, et quo fructu munera sua expleat.

An professio fidei cum iuramento antimodernistico exigatur, et ab omnibus ad quos spectat fideliter praestetur iuxta can. 1406 et decretum S. Officii 22 Martii 1918.

Eadem fere est situatio ac in reliquis Austriae dioecesibus – hoc cum discrimine, quod „socialistae“ – minoris numeri sint. Non desunt, qui a fide totaliter deficiunt (circiter 100 pro anno), totidem fere omni anno revertuntur ad ecclesiam catholicam. Modernistae, Theosophistae, Spiritismo addicti pauci sunt. Maximum forsitan periculum imminet ex parte eorum, qui vocantur: „Nationalessocialistae.“

Pericula majora sunt in civitatibus, quam inter agricolas.

Consilium vigilantiae duabus personis constat. Professio fidei ab omnibus exigitur, qui illud praestare debent.

17. Utrum divinus cultus libere exercentur; sin minus, unde obstacula proveniant: a civilibusne legibus, an ab hostilitate perversorum hominum, vel ab alia causa; quaenam ratio suppetat ad ea amovenda et num adhibeatur.

Nulla querela.

18. An ecclesiae iura circa coemeteria sarta tectaue sint et canonicae de his leges servari possint et servantur. Cann. 1205 seqq.

Servantur, exceptis raribus casibus, ubi leges civiles postulant, ut acatholici locum habeant in coemeterio catholico.

19. Utrum in cultu divino, in sanctorum, sacrarum imaginum et reliquiarum veneratione; in sacramentorum administratione necnon in sacris functionibus, sive quoad ritus sive quoad

linguam et cantum, leges canonicae ac liturgicae servantur. An in his, et quaenam, irreperint singulares consuetudines; sitne cura ut prudenter submoveantur, an potius tolerantur, et quam de causa. Can. 731 seqq.; can. 1255 seqq. Adsintne in ecclesiis picturae, statuae aliaque a sanctitate loci aliena, vel minus consona liturgicis legibus; et quid fiat ut amoveantur. Arceanturne semper a domo Dei profani conventus et nundinae etiam ad pias causas. Can. 1178.

Servantur in genere.

Quoad statuas, picturas, profanos conventos, nundinas⁶ in ecclesiis nulla querela.

20. Utrum numerus ecclesiarum in singulis oppidis vel paroeciis fidelium necessitati sufficiat. Sufficit omnino.

21. An generatim ecclesiae mundaе sint, decenter ornatae et suppellectili sufficienti instructae. Adsintne egentes, squalidae, fatiscentes, et an et quid agatur ut reficiantur. Recenseantur ecclesiae, si adsint, structurae arte, picturis aut pretiosa suppellectili insignes: et dicatur num congrua de his omnibus cura adhibeatur.

Utique.

Egentes utique adsunt, at multae Ecclesiae⁷ ultimis annis perpulchre restauratae sunt.

Recensio Ecclesiarum, quae arte structurae sunt insignes, difficilis est propter magnum earum numerum.

22. An ingressus in ecclesias, dum sacra aguntur, sit, prout debet, prorsus absolute semperque gratuitus. Can. 1181.

Semper tempore sacrorum officiorum liber ingressus patet.

23. An ecclesiae rite custodiantur ne furtis et profanationibus obnoxiae fiant, et eae in quibus SS. Eucharistia asservatur, praesertim paroeciales, quotidie per aliquot horas fidelibus pateant iuxta can. 1266. Quomodo observentur: cann. 1267 et 1268 circa custodiam SSmi Sacramenti in uno tantum loco et altari; et circa decorem et ornamentum praecellentissimum altaris eiusdem; can. 1269 circa tabernaculi statum; can. 1271 circa lumen coram SSmo.

Fere omnes rite custodiuntur, paroeciales fere omnes per totam diem patent fidelibus.

Sanctissimum fere in omnibus asservatur in altari maiori, in tabernaculo pulchro et bene clauso; lampas ardens fere ubique oleo nutritur.

Caput IV.

De iis quae ad Ordinarium spectant.

24. Indicet Ordinarius quibus redditibus ipse qua talis fruatur, sive sint ex bonis immobilibus, ex publico foenore vel aerario, ex incertis Curiae, ex dioecesis contributione, sive ex aliis causis: et an sibi sufficientes sint; qualem domum episcopalem inhabitet, et cum quibusnam convivat: an et quale cathedraicum exigat iuxta can. 1504; an et quales alias exactiones forte imposuerit iuxta cann. 1505, 1506; utrum aliquo aere alieno sive qua Ordinarius, sive qua persona privata gravetur; et qua ratione eius extinctioni consulat.

Mensa archiepiscopalis non in fundis immobilibus nec mobilibus consistit, sed tantummodo in dotatione a gubernio civili praestita ad normam legis civilis circa emolumenta officialium majorum pro tempore vigentis.

Nec domus habitationis archiepiscopalis ad mensam pertinet, sed aerario publico adscripta est.

Ordinarius superiorem domus archiepiscopalis contignationem solus inhabitat, in ceteris aedificii partibus Consistorium archiepiscopale, Cancellariae et archivaria locum habent. Insuper ob

⁶ Im Original „mundinas“.

⁷ Im Original „Ecclesia“.

penuriam habitationum in urbe Ordinarius ipse in cubiculis vacuis personas laicas collocavit pias pauperes.

Cathedraticum non exigitur. Aliae contributiones a Clericis solummodo postulantur pro Seminariis.

Aere alieno non gravatus sum, Dioecesis qua talis gravatur aere alieno circiter 70000 Schilingarum cum consensu S. Sedis ratione Ecclesiae novae necessario aedificandae.

25. An episcopales aedes et bona mensae sive mobilia sive immobilia, accurato inventario confecto, curaverit iuxta praescripta cann. 1483, 1299 § 3 et 1301.

Aedes episcopales non pertinent ad mensam, nec alia bona mensae adsunt.

26. An in ultima sedis vacatione praeter Vicarium Capitularem oeconomus quoque constitutus fuerit pro mensae bonis et res bene gestae fuerint iuxta cann 432, 433.

Nil defuit.

27. Quomodo residentiae legi satisficiat; qua frequentia pontificalia peragat, conciones habeat et pastoralibus litteris clerum et populum instruat; quomodo caveat ut ecclesiasticae leges notae fiant, et ut ab omnibus fideliter serventur. Can. 336.

Legem residentiae semper observavi. Quamdiu infirma valetudo id permisit, omnia consueta pontificalia semper ipse peregi, visitationes quotannis habui et contiones, pastoralibus litteris populum et clerum institui, leges ecclesiasticas in foliis dioecesanis notas feci.

28. Qua frequentia sacramentum confirmationis administret; et quomodo provideat, si ipse per se omnium necessitatibus consulere nequeat. Serventurne in huius sacramenti collatione regulae de aetate confirmandorum et de patrinis.

In omnibus parochiis quinto quoque anno sacramentum confirmationis administratur, quamdiu sanus fui, per me ipsum, nunc per episcopum auxiliarem, servatis regulis de aetate confirmandorum et de patrinis.

29. Quot in quinquennio sive per se sive per alium ad sacros ordines promoverit. Et an servaverit leges de non promovendis:

a) qui necessarii non sint vel utiles iuxta can. 969;

b) qui saltem integrum theologiae curriculum in seminario non peregerint. Can. 972 § 1.

An numerus ordinatorum par fuerit necessitati dioecesis. An aliquem incardinaverit, qua de causa, et num iuxta legem can. 111 seqq.

In ultimo quinquennio promoti sunt (1928–1932)

ad Subdiaconatum 127

ad Diaconatum 111

ad Presbyteratum 121

ex iis utique permulti ex religiosis ordinibus et pro aliis dioecesibus – servatis cann. 969 et 972 § 1.

Numerus Ordinatorum pro Dioecesis Salisburgen. non fuit par necessitati dioeceseos.

Pauci incardinati sunt, omnes secundum Can. 111.

30. An servatae sint regulae can. 877 seqq. in concedenda facultate vel licentia sacramentales confessiones audiendi; et can. 893 seqq. circa casus reservatos.

Utique.

In Dioecesi non sunt casus reservati.

31. Circa sacram praedicationem, an consuluerit ut iuxta Const. S. P. Benedicti XV et normas a S. C. Consistoriali datas die 28. Iunii 1917 omnia rite procederent; ac maxime ut

servarentur praescripta can. 1340 seqq. circa licentiam concedendam et can. 1347 circa modum et argumentum concionandi. An curaverit ut votum a can. 1345 expressum de brevi aliqua homilia in omnibus missis festivis habenda sensim ad effectum ducatur.

Puto, me officium meum in quantum potui, implevisse. Can. 1345, in quantum possibile, observari curatur.

32. An et quo fructu avertere pro viribus studuerit fideles a nuptiis cum acatholicis, infidelibus, aut impiis iuxta cann. 1060, 1064, 1065, 1071.

Monitiones generales quoad matrimonia cum acatholicis fiunt praedicatione. In casibus singulis curatur – ad matrimonii civilia vel acatholica cavenda, ut pars acatholica cautiones det de catholico baptismo et institutione omnium liberorum.

33. An in quinquennio totam dioecesim ipse per se, aut per alium visitaverit iuxta cann. 343-346. An praeter loca et res, libros et archiva, personas quoque clericorum visitaverit, eos singillatim audiendo, ut cognoscat quae sit uniuscuiusque vitae ratio, quae confessionis frequentia etc. An inspexerit quoque quae habentur circa legatorum adimplementum et missarum manualium satisfactionem ac stipem, et an constiterit omnia ad legis normam procedere iuxta cann. 824-844. Et si abusus aliquos hac in re detexit, referat.

In quinquennio tota dioecesis visitatur, etiam quoad personas, et quoad missas manuales, abusus maiores contra cann. 824–844 non inveni, leviores abusus statim corriguntur.

34. Utrum et quomodo dioecesanam synodum celebraverit, et quando novissima synodus congregata fuerit. Cann. 356-362.

Synodum dioecesanam non celebravi propter difficultates magnas, eiusque loco omni anno habui conferentiam decanorum, ad quam vocavi etiam delegatos Cleri ex quovis decanatu et catechetas urbis.

35. Si sit metropolitanus aut conferentiarum episcopalium praeses: an et quando concilium et quando conferentias convocaverit; quinam interfuerint; et quo fructu res cesserit. Cann. 283-292. Ceteri Episcopi: an concilio provinciali, et conferentiis ipsi per se, aut saltem per procuratorem, interfuerint. Can. 287.

Conferentiis Episcoporum Austriae quotannis ipse vel per procuratorem interfui.

36. Quomodo se habeat cum civili loci auctoritate; an episcopalis dignitas et iurisdictio sarta tecta ita semper servari potuerit, ut numquam, servilitate erga humanas potestates vel alio modo, detrimentum libertati et immunitati ecclesiae, aut dedecus statui ecclesiastico obvenerit.

Civilis auctoritas Salisburgi episcopalem auctoritatem et dignitatem servat et tuetur.

Caput V.

De Curia dioecesana.

37. Utrum Curia dioecesana aedes proprias, sufficientes et convenientes habeat; et si non, an et quomodo huic defectui consuli queat. Exhibeatur prospectus officialium Curiae episcopalis, adiectis iudicibus synodalibus, examineribus, parochis consultoribus, censoribus librorum aliisque peculiaribus administris. Can. 363 seqq.

Curia dioecesana suas sedes habet in palatio archiepiscopali, non omnino aedes sufficienti.

Prospectus officialium Curiae videatur in folio annexo (p. 20–22)⁸.

⁸ Der Relation wurden die Seiten 20-22 aus einem Druckexemplar des Personalstandes der Erzdiözese Salzburg für das Jahr 1933 beigelegt.

38. *De qualitatibus et opere Vicarii generalis et aliorum praecipuorum ministrorum adumbratio aliqua fiat.*

Vicarius generalis est episcopus auxiliaris. Ipse et Cancellarius Greinz et reliqui officiales munera sua diligenter adimplent.

39. *Quinam sint Curiae proventus sive ex taxis, sive ex multis pecuniariis, sive ex aliis titulis: et quomodo erogentur.*

Proventus Curiae e taxis omnino non sufficiunt, hinc aerarium publicum supplet, sed in hodiernis Austriae pressuris non sufficienter.

Caput VI.

De Seminario.

40. *Si dioecesis seminario careat, quomodo consulatur pro comparandis sacerdotibus dioecesi necessariis. An studium sit seligendi bonae spei iuvenes, e dioecesi oriundos, ad clerum indigenam creandum; quo fructu et ubinam educantur. Can. 1353.*

41. *Si seminarium adsit, referatur enucleate:*

a) *de numero et statu eorum qui externam disciplinam regunt, qui spiritualiter alumnos dirigunt, qui docent, qui discunt;*

b) *de statu aedium et rusticationis domus;*

c) *de redditibus et oneribus, hoc est de statu activo et passivo pii instituti;*

d) *de iis quae videantur necessaria ad meliorem Seminarium statum.*

42. *Distinctumne sit seminarium in maius et minus iuxta can. 1354 § 2.*

Et si prudentia suaserit, aut dioecesis conditio exegerit, ut dumtaxat seminarium minus seu schola apostolica, uti vocant, constitueretur, dicatur ubinam maiores alumni educantur: num in seminario proprio provinciali, seu regionali, seu interdioecesano apostolica auctoritate constituto iuxta can. 1354 § 3. Et de eius statu adumbratio aliqua fiat.

41–42. Adest Seminarium maius et minus – ambo ab invicem omnino separata sunt.

Seminarium minus conjunctum est cum proprio Gymnasio dioecesano, quod iure publicitatis gaudet.

Externam disciplinam alumnorum curant Regens et tres Praefecti, vitam religiosam dirigit unus „Spiritualis moderator“⁹, in Gymnasio docent Director et 15 professores, inter quos tres sunt laici. Status aedium optimus est, domus rusticationis deest. Quod attinet ad statum activum et passivum: alumni solvunt pensiones, quae saepe in hodierna angustia temporum omnino non sufficiunt, quae desunt, suppleantur oblationibus fidelium et seminaristico Cleri. Seminarium maius regitur Directore (uno ex canonicis), Vice-Rectore et Spirituali moderatore (nunc e Societate Jesu). Status aedium quidem est bonus at¹⁰ aedes non sufficiunt pro numero alumnorum propter sex studiorum annos notabiliter aucto. Proximis annis amplificatio aedium omnino necessaria erit. Studiis alumni vacant in facultate theologica et Pontificio Instituto Philosophico Salisburgensi. Catalogus professorum adjacet p. 30–32.¹¹

Etiam alumni Seminarium maius pensionem valde modicam solvunt; quae desunt, partim e seminaristico, partim contributione Gubernii suppleantur, quae contributio ultimo anno non amplius solvi potuit a Gubernio.

⁹ Im Original: „moderatur“.

¹⁰ Im Original: „ad“.

¹¹ Der Relation wurden die Seiten 30–32 aus einem Druckexemplar des Personalstandes der Erzdiözese Salzburg für das Jahr 1933 beigelegt.

43. *An servatae sint regulae: can. 1356 circa tributum seminaristicum; can. 1357 circa visitationem alumnorum et regulas internas; cann. 1358, 1360, 1361 circa directionem disciplinarem, oeconomicam et spiritualem; can. 1359 circa deputatos; can. 1363 circa alumnos admittendos et excludendos; can. 1371 circa dimittendos aut expellendos; cann. 1364-1366 circa institutionem litterariam et scientificam, praesertim philosophiae et theologiae; can. 1367 circa pietatis exercitia; can. 1369 circa spiritum ecclesiasticum fovendum et urbanitatis leges tradendas.*

Regulae sub hoc numero indicatae vere servantur, solummodo regulae can. 1356 circa tributa pro seminariis observari plene non possunt, praesertim § 3. Reditus beneficiorum, „qui supersit in anno“, tam minimalis esset in maxima beneficiorum parte, ut 3 % ex omnibus redditibus ipsis obvenientibus, e salario quod accipiunt a Gubernio praesertim, contribuant.

44. *An Ordinarius curaverit ut aliquis alumnus pietate et ingenio praestans peculiaria Urbis collegia, vel universitates sive facultates a S. Sede in Urbe vel alibi probatas adiret, ut ibidem in studiis perficeretur iuxta can. 1380.*

Duo alumni nunc studiis vacant in Collegio Germanico Romae.

Caput VII.

De clero generatim.

45. *An clerus generatim habeat quo honeste vivere possit. An pro senibus et infirmis domus aut saltem subsidia adsint quibus adiuvari possint.*

Clerus generatim habet, quo parce quidem sed honeste vivere et insuper pauperes adjuvare possit.

Pro senibus et infirmis non quidem propria domus adest, at pensio solvitur a gubernio et associatio cleri infirmos pecunia adjuvat, arce propria.

46. *An habeatur domus propria pro spiritualibus cleri exercitiis; an etiam quo poenitentes recipiantur.*

Pro spiritualibus Cleri exercitiis non adest propria domus, habentur talia exercitia saepius in anno in monasteriis aptis. Pro poenitentes¹² adest specialis domus, in qua etiam infirmi habitant, et poenitentes e dioecesibus aliis.

47. *Quo fructu Ordinarius curaverit ut clerici omnes ea adimpleant quae recensent: can. 125 circa sacramentalem confessionem et pietatis exercitia; can. 126 circa periodicum recessum ad spiritualia exercitia; can. 130 circa examina annualia novorum sacerdotum; cann. 131 et 448 circa conferentias cleri; can. 133 circa cohabitationem cum mulieribus; can. 134 circa communem clericorum vitam, praesertim vicariorum cooperatorum cum suo parcho, can. 476 § 5; can. 135 circa recitationem officii divini; can. 136 circa habitus ecclesiastici et tonsurae delationem; can. 811 circa vestis talaris delationem in missae celebratione; can. 137 circa fideiussiones cavendas; cann. 138-140, 142 circa abstinentiam ab omnibus quae statum ecclesiasticum dedecent, a theatris et spectaculis mundanis et a negotiorum saecularium gestione.*

In quantum potui, curam de observatione cann. huius numeri semper egi. Speciatim: Clerici, qui non omni tertio saltem anno exercitiis vacant, monentur, examina annualia sacerdotum novorum ab omnibus exiguntur. – Conferentiae cleri tum obligatoria tum libera in omnibus decanatibus habentur. Communis vita parochorum et clericorum fere ubique habetur.

Etiam quoad cann. 138–140 et 142 vere paucas querelas habeo contra sacerdotes.

¹² Statt „poenitentibus“.

48. *An et quot clericis licentiam concesserit, de qua in can. 139 § 3, operam suam praestandi in arcis seu mensis nummulariis parsimonialibus, cooperativis, ruralibus, aut similibus: an ratione communis boni, deficientibus laicis, et ob utilitatem religionis id concesserit; et num adhuc hae concessionis causae perseverent; an mensae nummulariae, in quibus clerici opus aliquod agunt, honestate personarum et principiorum tales sint, ut non dedebeat sacerdotem in iis partem habere; an in iisdem administratio ita recte geratur, ut omne absit decoctionis periculum, in quo sacerdotes convoluti maneant; et quomodo caverit de securitate huius notitiae; an denique qui hisce arcis applicati sunt a religiosa sacerdotalis vitae praxi deflexerint, et molestiam aliquam attulerint; et si ita sit, Ordinarius casus proponat et remedia suggerat.*

Perpaucis¹³ clericis licentia data est operam suam praestandi in arcis parsimonialibus („Raiffeisenkassen“) ex vera necessitate, et sine periculo et damno spirituali horum sacerdotum.

49. *An clerus praestet eam quam can. 127 praescribit obedientiam et reverentiam erga Ordinarium suum, et erga Apostolicam Sedem; et si sint qui graviter deficient, eos Ordinarius denunciaret. Si adsit in dioecesi clerus diversi ritus et linguae, quaenam sit inter clericos caritas et quaenam Ordinario cura fuerit pro utrisque.*

De Obedientia et Reverentia Cleri erga Ordinarium et Sedem Apostolicam generatim nullam querelam habeo.

50. *An generatim clerus officia obsequenter suscipiat, quae Ordinarius iuxta can. 128 eis committit; an habeantur, qui quamvis viribus polleant, otiosi tamen vivere malunt; si habeantur qui Universitates laicas frequentent, an hi servaverint ac servant leges a S. C. Consistoriali ad rem statutas; et si huiusmodi adsint, eos Ordinarius indicet.*

Clerus officia sua generatim obsequenter adimplet. Universitates laicas solummodo tres sacerdotes frequentant, ut ad munus professoris se praebarent¹⁴, missi et destinati ad hoc a me ipso.

51. *An adsint sacerdotes qui in diariis et libellis periodicis scribant vel ea moderentur; et qua facultate et utilitate id peragant. Can. 1386 § 1.*

Tres sacerdotes moderantur diaria et libella periodica – meo permissu – sensu vere catholico.

52. *An adsint de clero qui cum scandalo diaria et ephemerides vel libros legant quae dedecent;*

qui factionibus municipalibus vel politicis indebite se immisceant; qui ad statum saecularem redacti sint, aut per nefas ad illum sponte sua sint regressi. Cann. 211-214; et quid fiat ad horum malorum remedium.

Sacerdotes, qui cum scandalo diaria inimica legunt, vel politicis sese indebito immisceant, non adsunt.

Ad¹⁵ statum saecularem per nefas sponte regressi sunt duo, ante plures annos unus e dioecesi Lincensi, quem omnes habent laicum, qui proinde nullum dat scandalum, alter a mea dioecesi, qui in dioecesi Lincensi degit et nunc processum canonicum instituit, ut liberetur a lege coelibatus.

53. *An et quo fructu aliquas ex poenis recensitis in can. 2298 Ordinarius irrogaverit, et casus graviores referat.*

¹³ Im Original „per paucis“.

¹⁴ Statt praeparent.

¹⁵ Fälschlich mit 53. eingeleitet.

Tales¹⁶ poenas irrogari non necesse fuit.

Caput VIII.

De Capitulis.

54. *Si desit Capitulum cathedrale, dicatur quot consultores dioecesani habeantur, et serventur circa ipsos quae cann. 424-428 statuunt.*

55. *Si adsit cathedrale Capitulum, dicatur quot dignitatibus et canonicis constet; adsintne officia canonici theologi et poenitentiarum et serventur ab ipsis quae cann. 398-401 iubent; habeantur alii beneficiati minores, et quot.*

Capitulum metropolitanum constat quatuor dignitatibus et 8 Canonicis, canonicus poenitentarius est parochus ecclesiae metropolitanae, theologus est director seminarii maioris, decem sunt beneficiati minores.

56. *Exponatur quae sit dotatio Capituli seu beneficiatorum. In distributionum seu punctaturarum disciplina vigeantne et serventur regulae can. 395.*

Dotatio Capituli et beneficiatorum omnino deest, Gubernium dat salarium. Desunt etiam distributiones.

57. *Si adsint canonicatus aut beneficia patronata, curaveritne Ordinarius, et quo fructu, ut patroni spiritualia suffragia loco iuris patronatus, aut saltem loco iuris praesentandi, acceptarent, iuxta can. 1451.*

Canonicatus aut beneficia patronata in Ecclesia Metropolitana non sunt.

58. *Adsintne statuta iuxta cann. 410 et 416.*

Statuta habentur.

59. *Quot adsint canonici ad honorem; et serventur de ipsis regulae can. 406.*

Canonici ad honorem sunt sex, servato canone 406.

60. *Sede episcopali vacante, quaenam vigeat ratio providendi dioecesis regimini; servatane fuit, ultima vacationis vice, disciplina quam cann. 429-443 praescribunt.*

In ultima vacatione Sedis 1918 electus est a Capitulo Vicarius Capitularis.

61. *Dicatur aliquid de modo quo Capitulum sacras functiones peragit, quo se gerit erga suum Ordinarium, et de aliis quae ad eius bonum nomen pertinent.*

Capitulum digne et laudabiliter sacras functiones sine omni querela peragit et reverentiam servat erga Ordinarium.

62. *Si adsint in dioecesi Capitula, praesertim insignia, vel Communitiae cleri ad modum Capitulum, Ordinarius de iis referat analoge ad ea quae pro cathedrali Capitulo sunt requisita.*

Duo sunt capitula insignia in dioecesi, in Seekirchen et Mattsee, quae ambo egestate pressi, tres vel quattuor solummodo Canonicos numerant.

Caput IX.

De Vicariis foraneis et parochis.

¹⁶ Fälschlich mit 54. eingeleitet.

63. *Referatur an Vicarii foranei adimpleant diligenter ea omnia quae can. 447 praescribit de vigilantia in ecclesiasticos viros sui ambitus seu districtus, de cura ut canonicae leges et decreta Ordinarii observentur, de aliisque; an paroecias juxta normas ab Ordinario datas visitent; et an quotannis rationem reddant Ordinario de statu sui vicariatus iuxta can. 449.* Vicarii foranei generatim officium vigilantiae diligenter adimplent, annuatim parochias visitant et in scriptis Ordinario referunt.

64. *An paroeciae omnes de suo proprio pastore sint provisae; et serveturne lex a can. 460 lata de uno dumtaxat pastore in unaquaque paroecia habendo, reprobata qualibet consuetudine et revocato quolibet privilegio.*

Omnes paroeciae proprium et quidem unum dumtaxat parochum habent.

65. *An adsint paroeciae amovibiles, quot, et qua de causa. An et quot unitae Capitulis sive cathedrali, sive collegiatis, domui religiosae, aut alii morali personae: et in hoc casu utrum serventur leges de vicario curato constituendo cum libero exercitio animarum curae iuxta statuta in cann. 415, 471 et 609 § 1. Et si religiosus sit parochus, an sarta tectaue sint quae Cann. 630, 631 hac de re praescribunt.*

Paroeciae amovibiles non sunt. Sex paroeciae sunt unitae monasteriis, una Capitulo collegiato – Canones C.I.C serventur¹⁷.

66. *An et quot adsint patronatui obnoxiae; an et quo fructu cura fuerit Ordinario ut patroni spiritualia suffragia loco iuris patronatus aut saltem loco iuris praesentandi acceptarent iuxta can. 1451; sin minus, an in praesentatione servatae sint leges a cann. 1457 seqq. latae, ac maxime a can. 1452 in casu electionis seu praesentationis popularis.*

Perpaucae paroeciae sunt obnoxiae patronatui. Cum patroni e lege civili obligantur ad contribuendum tertiam partem in restaurandis Ecclesiis parochialibus et aedificiis ad ecclesiam pertinentibus, juri patronatus non resignare possunt. – Leges canonicae in praesentatione servantur.

67. *An provisio paroeciarum quae sunt liberae collationis fiat per concursum, et qua ratione concursus celebretur. Can. 455 seqq.*

Provisio paroeciarum fit per Concursum, at per concursum generalem, ita ut approbati competere possint ad omnes parochias vacantes.

68. *Quibus redditibus parochi vivant, an ex immobilibus, ex publico foenore vel aerario, an ex incertis stolae, et fidelium vel dioecesis contributione. An commode generatim vivant, et an adsint qui egestate laborant. An domo propria paroeciali, saltem conducta eaque sufficienti, generatim instructi sint; et si non, an studium sit et probabilitas ut ea instrui valeant.*

Parochi fere omnes vivunt ex iis, quae Gubernium lege „congruae“ iis exsolvit; quae summa sufficit, ut non egestate laborent. – Omnes habent domum parochialem sufficientem.

69. *An parochi generatim satisfaciant iis quae praescribunt: can. 463 § 4 circa gratuitum ministerium praestandum iis qui solvendo pares non sunt; can. 465 circa residentiam; can. 466 circa applicationem missae pro populo; can. 467 circa sacramentorum administrationem et animarum salutis zelum; can. 468 circa infirmorum curam; can. 469 circa vigilantiam ne errores contra fidem et vitia subrepant et circa opera caritatis, fidei et pietatis in paroecia instituenda et fovenda; can. 470 circa paroeciales libros recte conficiendos; circa exemplaria tradenda quotannis Curiae episcopali; can. 785 circa sacra olea a parochis loco decenti ac tuto custodienda.*

¹⁷ Fälschlich statt servantur.

Parochi generatim certo satisfaciunt cann. ibi allegatis; paucis exceptis.

70. Circa baptismum: an quaelibet ecclesia parochialis sacro fonte sit instructa iuxta can. 774, et quoties infantes sine periculo aut gravi incommodo ad paroecialem transferri nequeant, an parochus ad proximiorum ecclesiam vel publicum oratorium pro sacramento ministrando ultro libenterque accedat iuxta can. 775.

Perpaucae Ecclesiae parochiales carent sacro fonte. Si infantes sine periculo aut notabili incommodo, hieme praesertim, ad ecclesiam parochialem transferri nequeunt, baptizantur domi vel in aedibus parochialibus.

71. Circa SSmam Eucharistiam: an parochis cura sit studiumque indefessum ut, iuxta can. 863, fideles saepius et etiam quotidie pane Eucharistico reficiantur; ut iuxta can. 865 infirmi, dum plene sunt sui compotes, S. Viaticum suscipiant; ut iuxta cann. 1273, 1274 et 1275 cultus SSmi Sacramenti augeatur, excitando fideles ad quotidianam missae adistentiam, ad visitationem serotinam peragenda, exponendo statis temporibus SSmam Eucharistiam, aliaque utilia peragendo; ut iuxta can. 854, servata quidem parentibus et confessariis debita libertate ad iudicandum de sufficienti puerorum dispositione ad primam communionem, iidem parentes ne negligant officium suum, et alii abusus ne subreant.

Circa SS. Eucharistiam: In permultis parochiis omnia ex parte sacerdotum fiunt, ut frequens Communio et adutorum et puerorum omnibus mediis promoveatur. Prima communio puerorum generatim jam anno secundo scholari, i. e. anno octavo aetatis habetur.

72. Circa extremam unctionem: an parochis cura sit, ut hoc sacramentum ab infirmis recipiatur dum sui plene compotes sunt.

Quoad extremam unctionem parochi certe curant, ne unus moriatur, quin plene compos eam susceperit.

73. Circa matrimonii celebrationem: an parochis omnibus cura sit diligens observandi quae praescripta sunt in Codice lib. III, tit. VII, circa libertatem status, impedimentorum dispensationem, sacros ritus, et adnotationem matrimonii.

Etiam circa matrimonii celebrationem firmiter persuasus sum, omnes parochos officia sua fideliter impleturos esse.

74. Circa catechesim: an ab omnibus parochis diligenter serventur quae praescribit can. 1330 circa peculiarem catechismum pro prima confessione et communione et pro confirmatione puerorum; et cann. 1331-1336 de catechismo diebus festis impartiendo tum pueris tum adultis.

Institutiones catecheticae (Catechismus) tum generales tum speciales pro prima Confessione et Communionem et pro Confirmatione dantur a parochis et Cooperatoribus in Scholis, ubi religiosa institutio ab omnibus pueris catholicis audiri debet ex legibus civilibus.

75. Circa evangelii explanationem: an ab omnibus lex servetur can. 1344; circa sacras conciones: an statis quibusdam temporibus sacrae conciones frequentius habeantur ad normam can. 1346, et sacrae missiones locum habeant iuxta can. 1349.

Concio habetur omnibus dominicis et diebus festis, in maioribus parochiis etiam saepius tempore Quadragesimae.

76. An vicarii cooperatores alique animarum curatores suis officiis laudabiliter fungantur iuxta can. 473 seqq.

Vicarii cooperatores generatim sua officia diligenter adimplent.

Caput X.¹⁸
De religiosis.

77. *An Ordinarius sive per se, sive per alium, quinquennalem visitationem domorum religiosarum peregerit iuxta cann. 512, 513: et quae notabiliora adnotanda habeat.*

78. *Utrum religiosi, sive viri, sive mulieres, vitam communem ducant; an sint qui habitent soli, vel in domibus privatis cum saecularibus, et quo iure; quae sit in utroque casu eorum fama; quaenam pro dioecesi utilitas; an catechismum tradant, si Ordinarius requisierit iuxta can. 1334; quo habitu incedant.*

79. *Si quaestuant adsint, sive viri, sive mulieres, an canonicae praescriptiones cann. 621, 622, 624 servaverint: an aliquod inconveniens acciderit, vel aliquid sit de hac re animadvertendum.*

80. *Si congregatio aliqua dioecesani iuris, vel societas sive virorum sive mulierum in communi sine votis viventium habeatur, Ordinarius de ea, aut de eis, nomen dicat, finem, sodalium numerum, utilitatem, et si quae alia observanda habeat.*

81. *Referat Ordinarius an aliquod offendiculum cum religiosis habeat in suae iurisdictionis exercitio.*

82. *Si adsint religiosi viri ordinibus sacris iam initiati, qui exlaustrati, saecularizati aut dimissi a religione fuerint, referat Ordinarius quid de ipsis dicendum iuxta cann. 639, 640, 669 seqq.*

83. *De religiosis mulieribus in specie Ordinarius referat:*

- a) an observentur canonicae leges circa admissionem ad novitiatum, professionem, clausuram, confessarios ac bonorum temporalium administrationem iuxta cann. 512, 513, 520-527, 533-535, 547, 549, 550, 552, 600-605;*
- b) si quae monasteria monialium superioribus regularibus sint subiecta, an in casibus a iure statutis Ordinario subdantur iuxta cann. 500 § 2 et 615;*
- c) quae vitae activae sunt quibus diversis operibus se addicant, et quo fructu;*
- d) si sint quae infirmis in privatis domibus adsistant, aut rem domesticam in nosocomiis, Seminariis vel similibus virorum domibus gerant, an cautum sit a periculis quae in his adiunctis observantur, et an aliquid habeatur deplorandum.*

Caput XI.¹⁹
De populo fideli.

84. *Dicatur quinam sint generatim populi mores: quaenam vita christiana privata in familiis: quaenam publica in oppidis et civitatibus: an in externis pompis et solemnitatibus magis consistat, quam in vero pietatis spiritu. Et si sint differentiae notabiles unius loci ab alio, indicentur. Quid fiat ut christianae vitae professio, si paululum defecit aut a recta via declinavit, sensim reducatur.*

¹⁸ In dem nach Rom übersandten Exemplar der Relation fehlt die Beantwortung der Fragen 77-83 (Kapitel 9). Dieser Umstand wurde durch ein bei der Überschrift zum Kapitel über das Volk – als 10. gezählt (nach korrekter Zählung wäre es das 11. Kapitel) handschriftlich eingefügtes Fragezeichen moniert.

¹⁹ Fälschlich „Caput X“. Der Fehler erklärt sich mit der Tatsache, dass das Kapitel über die Orden (Kapitel 10) bei der Beantwortung ausgelassen wurde.

Generatim dici potest, maximam populi partem, praesertim quod agricolas attinet, vera fide imbutam mores christianos servare, in oppidis maioribus autem multi antiquo liberalismo adhuc infecti sunt, et ex operariis multi pertinent ad socialistas vel novissimo tempore ad „Socialistas nationales“.

Vita christiana in familiis agrorum et etiam multorum civium adhuc floret, vita publica in oppidis et civitatibus maioribus liberalismo saepe impleta est.

Ut professio vitae christianae iterum restauretur, per folia publica catholica spargenda, per folia stricte ecclesiastica pro populo edenda (sub titulo: „der Katholik“), per missiones populares, per exercitia, per adunationes catholicas praesertim pro iuvenibus et puellis strenue in tota fere dioecesi clerus et populus in actione catholica cooperantur.

85. Qua reverentia clericos, et maxime Episcopum et S. Pontificem, populus prosequatur. Can. 119.

Generatim populus reverentiam magnam ostendit erga sacerdotes, Episcopum, Summum Pontificem.

86. Quae sit observantia: can. 1248 circa praeceptum audiendi sacrum et abstinendi ab operibus servilibus diebus festis; cann. 1252, 1254 circa abstinendam et ieiunium; can. 770 circa sollicitam baptismi collationem infantibus; can. 859 circa communionem paschalem: quot sint ex viris et ex mulieribus qui, cum sint professione catholici, nihilominus eam negligunt, facta proportione pro singulis centenibus fidelium; can. 863 circa frequentem communionem; cann. 865 et 944 circa extrema sacramenta: an sint inter eos qui catholici censentur, qui haec sacramenta differunt, negligunt aut etiam recusant: et dicatur eorum numerus, habita proportione pro centenibus; cann. 1203, 1239 seqq. circa cremationis reprobationem et funera: dicatur, servata proportione ut supra, quot ex iis qui catholici dicuntur funeribus mere civilibus seu irreligiosis sepeliantur: an id contigat ex nimietate taxarum stolae, an ex alia causa.

Can. 1248 observatur bene in urbibus minoribus et in parochiis, exceptis urbibus maioribus. Circa abstinendam et ieiunium ecclesiasticae leges in Austria valde mites sunt, lex abstinendae quoad maximam fidelium partem observatur.

De collatione Baptismi quoad infantes rarissime querela est, quoad Communionem paschalem inter agricolas multo maior pars officium adimplent, inter artifices, operarios et inter cives urbium forsitan 50% officio suo desunt.

Frequentia Communionis ultimis annis, praesertim inter pueros et puellas, valde aucta est et etiam inter adultos multarum parochiarum crescit.

Quoad extrema Sacramenta rarissime occurrit casus, quo recusantur a catholicis.

Circa cremationem cadaverum: Augetur pro dolor numerus eorum, quorum corpora cremantur, non quidem propter taxam stolae, proportio vix 5% erit, agitur praesertim de iis, qui ad „socialistas“ pertinent. Funeribus mere civilibus fere nemo sepelitur; qui cremantur, a ministro evangelico vel „antiquo-catholico“ comitantur ad sepulcrum. Optimum remedium praebet societas quaedam catholica assecurationis, quae in casu mortis pro sepultura catholica sumptus solvit, quae societas late diffusa est sub titulo „Caritas-Sterbevorsorge“.

87. Circa matrimonium: an matrimonia mere civilia, concubinatus et divortia habeantur, et qua proportione; an vitia contra sanctitatem matrimonii irrepserint; quid fiat ut haec mala removeantur.

Matrimonia mere civilia valde rara sunt. Concubinatus autem praesertim in urbibus maioribus et inter operarios saepe habentur, et maxima etiam querela est, quoad divortia, quorum numerus valde crescit, deficiente fide et caritate.

Maxime dolendum autem est vitium impediendi generationem, quo vitio multa matrimonia etiam inter agricolas, non solum in urbibus, inficiuntur cum maximo damno vitae christianae:

ad minuendum hoc vitium tum in praedicationibus tum in variis catholicorum societatibus et adunationibus tum in confessionali et in missionibus omnes conatus fiunt.

88. *Ubi catholici cum acatholicis mixti sunt, et mixta matrimonia habentur, dicatur numerus horum matrimoniorum tum absolutus tum relativus ad matrimonia non mixta: quoniam exinde detrimenta religioni proveniant: an serventur ab his contrahentibus clausulae can. 1061.*

Matrimonia mixta forsitan sunt 5% matrimoniorum catholicorum, in maxima eorum parte cautiones can. 1061 praebentur et etiam fere semper promissiones in posterum observantur.

89. *De christiana educatione prolis: quomodo generatim parentes et qui loco parentum sunt, in sinu familiae satisfaciant gravissimae huic obligationi, de qua can. 1113 et 1372: et quae cura sit ne ab hoc officio fideles deficiant.*

Christianam educationem prolis iam in sinu familiae a multis parentibus liberalioribus et socialistis plus minus negligatur, quamvis saepe de hac obligatione monitio fit in praedicatione.

90. *De scholis: an in publicis scholis, praesertim elementaribus, servetur praescriptum can. 1373 de institutione religiosa puerorum. Et si non, qualibet de causa; an cura sit fidelibus et clero instituendi pro catholicis pueris scholas confessionales, eosque avertendi a scholis acatholicis, neutris, mixtis, iuxta can. 1374.*

Institutio puerorum religiosa in scholis publicis, praesertim elementaribus, ubique lege civili stricte praescripta est.

91. *De conditione et statu scholarum confessionalium, praesertim elementarium, enucleate referatur: quomodo sustententur, a quot alumnis frequententur, qualique profectu. Et si scholae confessionales institui non potuerint, indicetur causa: et dicatur, an per varia opera post-scholastica, hoc est oratoria festiva, Congregationes Marianas, scholas catechisticas, aliisque modis, cautum pro viribus sit praeservationi puerorum et puellarum.*

Scholae confessionales habentur praesertim in civitate Salisburgi, et aliis maioribus civitatibus, magno profectu a congregationibus religiosarum sororum praesertim fundatae et directae, a liberis etiam e familiis liberalibus libentissime visitatae. Gubernium usque ad ultimum annum contribuit ad sustentandas has scholas.

92. *De religiosis et piis laicorum associationibus; an adsint in dioecesi tertii Ordines saeculares, et confraternitates, illae praesertim Ssmi Sacramenti et Christianae doctrinae, aliaeque piae uniones potissimum pro iuvenibus: quo numero et quo religionis profectu.* Laicorum associationes religiosas et piae habentur vere magno numero in tota dioecesi, fere in unaquaque parochia, et etiam pro iuvenibus: iuvant praesertim parochum quoad frequentiam sacramentorum; fatendum quidem est, antiquae confraternitates non raro suum influxum religiosum in vitam christianam parochiae amisisse.

93. *An hae associationes servent omnes praescripta: can. 690 de subiectione erga Ordinarium; can. 691 de administrationis modo.*

Subiectionem erga Ordinarium servant, bona, si adhuc adsunt, administrantur persaepe a parochis, qui annuatim rationem reddere debent Ordinario.

94. *An adsint inter catholicos associationes illae, quae sociales vocantur, agricolarum, operariorum, mulierum in hunc vel alium caritativum finem, vel mutuuum subsidium; an asyla pro infantibus, patronatus pro iuvenibus, pro emigrantibus etc., circuli pro iuventute, laboratoria pro artificibus, vel pro puellis etc.: quo spiritu agantur: an directioni et*

moderationi Ordinarii et Apostolicae Sedis dociliter subsint: quatenus beneficia sive moralia sive temporalia praestent.

Maximi momenti sunt aliae associationes sociales et caritativae, agricolarum praesertim catholicarum, mulierum catholicarum, operariorum, iuvenum et puellarum (Bauernbund, Kath. Frauenorganisation, Arbeiterverein, Gesellenvereine, Reichsbund der kath. Jugend, Mädchenverband),

95. An cura sit ut qui hisce associationibus sive religiosis et piis, sive socialibus adscripti sunt, in fidei doctrina instituantur et christianam vitam ducant.

quae associationes latae diffusae per totam dioecesim non solum fines sociales et caritativos sequuntur, sed etiam vitam christianam valde promovent. Coadunantur in „Actione catholica“. Magnam utilitatem etiam fert „obulus pro pueris“ in omni parochia collectus. („Kindergroschen“).

96. An et qua diffusionem ephemerides vel diaria obscoena, irreligiosa, modernistica vel liberalia dioecesim pervadant: an libri quoque huius generis diffusi sint; quid fiat ad tantum malum coercendum et quo fructu.

Ephemerides liberales pro dolor multo magis inter cives propagantur ac catholicae, contra ephemerides obscoenas, quando inveniuntur, officiales securitatis publicae non sine bono eventu semper invocati sunt, ita ut publica venditio vetita fuerit. – Folia irreligiosa venduntur praesertim ab „Adventistis“. Fideles semper monentur, ne talia legant.

97. An massonicae sectae addicti, vel etiam massonicae tabernae in dioecesi habeantur: quanta et quali activitate operam adversus religionem moliantur; quid fiat ad occurrendum huic malo.

De asseclis Sectae Massonicae fere nil notum est.

98. An socialismi societates habeantur: quot numero, quanti momenti et quali religionis noxa: et quid fiat ad hanc avertendam.

Socialismo permulti operarii addicti sunt. Permagna eorum pars non ex odio religionis, – volunt esse et manere catholici –, sed ex necessitate et ex fine sociali, hoc anno influxus et vis socialistarum minui coepit.

99. Utrum in exercitio iurium politicorum et civilium fideles catholici religionis bono et ecclesiae libertati pro viribus consulant.

Fideles vere catholici quoad res politicas coadunati sunt in partibus, quae vocantur „christiano–sociales“, et ita strenue laborant pro bono Religionis et pro libertate Ecclesiae.

Caput XII.

Iudicium syntheticum Ordinarii circa dioecesim statum.

100. Denique Ordinarius, omnibus in universum complexis, dicat, praesertim in prima sua relatione, quid actu sentiat de materiali et morali conditione dioecesis, quae spes melioris status affulgeat, quatenus maiora discrimina immineant.

In sequentibus vero relationibus addat, quomodo et quo fructu ad effectum perduxerit monita et mandata, si quae S. Congregatio in sua responsione ad praecedentem relationem significaverit: et utrum progressus, regressus, an potius idem ferme persistens status in rebus fidei et morum haberi videatur in dioecesi: et quatenus de eo censeantur causae.

Omnibus perspectis dici²⁰ possum:

²⁰ Statt „dicere“.

Sicut in tota Austria, sic etiam in dioecesi Salisburgensi progressus ad meliorem statum religiosum observari et etiam in posterum sperari licet; sequentibus ex causis:
Animarum Curatores quoad maximam eorum partem laborant indefesse et diligenter.
Societates catholicorum sociales, in actione catholica coadunatae, omnem operam dant.
Iuvenes catholici et puellae optimo spiritu imbuti sunt. Gubernium omnes conatus catholicos adiuvat optime.

Maxima Reverentia persistit

Sanctitatis Vestrae
humillimus, devotissimus et obedientissimus servus

+ Ignatius Rieder
Archiepiscop.

SALISBURGO **RELAZIONE 1928 – 1933**

Nel giudizio sintetico con cui termina la sua Relazione l'Ecc.mo Presule dell'Archidiocesi di Salisburgo fa rilevare il miglioramento verificatosi in questi ultimi anni nelle condizioni generali, morali e religiose della sua diocesi.

Ciò, Egli dice, è da attribuirsi sopra tutto all'efficace e indefessa opera del Clero, specialmente dei Parroci, all'incremento dato all'Azione Cattolica, e al favore accordato dalle civili Autorità al Clero e al laicato cattolico.

Tutto ciò lascia anche bene sperare per l'avvenire. Tuttavia non mancano delle deficienze e dei mali più o meno gravi da rilevare, sui quali potrebbe richiamarsi l'attenzione dell'Ordinario e lo zelo dei Sacerdoti.

COSE DA NOTARE

- 1) La tenuta degli Archivi lascia alquanto a desiderare. Essi non sempre si trovano in luogo sufficientemente sicuro; i Cataloghi poi sono per lo più deficienti (n. 14 e 15).
- 2) Gli uffici della Curia si trovano nel palazzo arcivescovile. Si nota che „non omnino aedes sufficiunt“ (n. 37). Ciò non sembra bene accordarsi col numero 24, dove si legge che „in cubiculis vacuis Ordinarius personas laicas collocavit“.
- 3) Nel Capitolo non vi sono distribuzioni quotidiane. Non si dice se nel caso venga osservato quanto prescrive il canone 395 paragr. 2. (n. 56).
- 4) Vi sono delle Chiese parrocchiali prive del fonte battesimale, contro il prescritto del canone 774. (n. 70).
- 5) Infine tra i disordini morali più gravi, contro i quali più intensa ed efficace dovrebbe essere l'opera del Clero sono, da annoverarsi: la stampa immorale e irreligiosa molto diffusa; (n. 96); il notevole numero delle apostasie (circa 100 ogni anno) n.16); i concubinati e i divorzi sempre in aumento (n. 87); il deplorabile vizio della limitazione illecita delle nascite, diffuso anche in mezzo alla popolazione del contado (n. 87); e il numero ognora crescente delle cremazioni dei cadaveri (n.86).

Roma, 20 aprile 1934

P. Tito di S. Paolo
Procurator Generalis Passionistarum